

**www.e-rara.ch**

**Theatrum orbis terrarum, sive, Atlas novus**

**Blaeu, Joan**

**Amsterdami, 1644-1645**

**Zentralbibliothek Zürich**

Shelf Mark: T 5-8

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-92289>

Regni. [und] Suth-Rey.

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

## R E G N I.



*Proximè Attrebatios ad solem orientem REGNI, Ptolemæo PHINOI, regiones eas qua nobis nunc Surry, & Southsex vulgo vocantur, cum parte Hantonensis agri maritima insederunt. In etymo, qua animum subeunt, tacitus præmittam, quia forsitan à veritate non fuerint; non minus, ac si PHINOI Ptolemæo dictos existimarem, quod regnum esset & sub regio dominatu permanere permiserint Romani. In hoc enim tractu Cogiduno regi Britanno, ut habet Tacitus, quædam civitates veteri Pop. Romani consuetudine donata, ut haberet instrumenta servitutis & Reges. Sed cum hæc conjectura nec mihi probabilis, & aliis absurda videatur, prorsus rejicio. Saxoniamque recentiorum nominum originem libens amplectar, quam veritas ipsa persuadet. Southsex, videlicet ab Australibus Saxonibus, & Suth-rey, ab Australi ad flumen situ: hoc enim Suth-rey, denotare, nemo inficiari poterit, cum Overthey ultra flumen in veteri Anglorum lingua significet.*

## S V T H - R E Y.

Rhey.



*Svthreya, Bedæ Svthreya, vulgo Svthrey, & Surry Saxonibus ab australi ad flumen situ Svth-pea, Svth enim Austrum, & pea flumen illis significavit, ab Occidua mundi plaga partim Bercheriæ & Southantonensi provinciæ, ab Austro Suffexiæ, ab Ortu Cantio contigua, à Septentrione Tamisi fl. perfunditur, & à Middlesexia dirimitur. Regio est non admodum ampla, satis tamen opulenta, qua Tamisi incumbit, & qua campestris jacet planities, fruges mediocriter, & pabulum benigne producit, præsertim ad Austrum, ubi perpetua vallis in altitudinem depressa, Holmesdale olim à sylvis dicta, grata nemorum, arborum, & pratorum varietate spectabilis decurrit. Colles hinc inde longo tractu surgunt, vivaria passim feris repleta, fluvii etiam piscosi, unde ad voluptatem jucunda venatio, & grata piscatura suppeditatur. Assimilatur vero à nonnullis Levidensæ vestimento, vel panno tenui & crasso textu, cum viridi prætexta, utique cujus interior pars sterilis, exterior sive limbus fertilior. In hac perambulanda Tamisin, & fluvios influentes, quasi duces itineris sequar, sic nihil memorandum omiserò, cum his fluviiis loca, quæ antiquioris sunt notæ, adsideant omnia.*

Chertsey.  
666

*Tamisis, ut ejus cursum secundo flumine sequamur, statim atque Bercheriæ valedixerit, Chertsey quam Beda Ceroti insulam dicit, nunc vix peninsulam, nisi hibernis aquis, allabitur, in qua, tanquam in loco ab hominum commercii*  
*Britannia.*

*secreto, Frithwaldus, ut ipse in foundationis Charta se vocat, provinciæ Surriannorum subregulus Regis Wulpheri Mercianorum, & Erchenwaldus Londinensis Episcopus in primis surgentis Anglicæ Ecclesiæ temporibus monasterium posuerunt, quod aliquandiu tumulus fuit sanctissimi Regis Henrici VI, quem regno dejectum Eboracensis familia sustulit, ut sibi regnum seculare confirmaret; & sine ullo honore hic sepultura tradidit. Verum illi postea Windlesoram translato, & in novum Mausolæum illato, justa regio more fecit Henricus VII, sanctasque ejus virtutes tantopere admiratus est (expressum enim erat Christianæ pietatis, & patientiæ exemplum) ut cum Julio Pontifice Romano egerit de illo inter Divos referendo. Sed quo minus hoc fieret, in causa erat Pontificis avaritia, qui pro Regis Apotheosi, sive Canonisatione ut vocant, nimis magnam pecuniæ vim exegit, ut videretur non principis sanctitati, sed auro honores illos delaturus. Sub hoc Wey fluvius Tamisi infunditur, qui ex Hantonensi agro effusus, ubi primum Svthreiam perverit, Feornham vulgo Farnham, à filiceto nominatum invisit, quod Æthelaldus Occidentali Saxonum Rex Episcopo & Congregationi Wentana ecclesiæ donavit. Hic circa annum DCCCXCII Ælfrædus Rex grassantes Dinosa parva manu fudit, & postea cum Stephanus Rex quibuslibet qui à se steterunt, castelli condere permisisset, Henricus Blefensis Steplani frater, & Episcopus Wintoniensis castellum colle supra opidum imminente erexit: quod cum seditionis esset præsidium, Henricus Tertius deturbavit: Episcopi tamen Wintonenses, ad quos etiamnum spectat, denuo excitarunt. Nec procul hinc ad Waverley Guilielmus Giffart Episcopus Wintoniensis*



Henricus VI.

Hist. Cantuariensis.

Farnham.

Waverley.

B b b toniensis



Milliaria Angl. quorum 4 aequat 1 German.

toniensis monasteriolam Cisterciensis ordinis monachis posuit. Inde *Wey* per *Godelminge*, quod *Ælfredus* Rex *Æthelwaldo* è fratre nepoti legavit, haud procul à *Catteshull Manerio*, quod *Hamo de Gatton* tenuit, ut esset *Marescallus meretricum*, cum *Rex* in illas terras veniret, nec longe à *Loseley*, ubi venustas ædes familiæ *Equestris Mororum* intra roborarium vidimus: accedit *Guilford*, Saxonice *Gulde-popb*, & nonnullis exemplaribus *Gegldford*, Forum nunc frequens, diversoriis nitidum, olim Anglo-Saxonum villa erat Regia, quam etiam *Æthelwaldus* ille à patruo legatam tenuit, Regiæque ibi sunt ædes quæ jam fatiscunt, & haud procul à flumine lacera mœnia antiqui castris satis ampli: in medio vero Ecclesia est, cujus pars orientalis concamerato ex saxo opere videtur admodum antiqua. Hic, ut in *Guilielmi Primi* libro videre est, *Rex LXXV Hagas*, id est domos habuit, in quibus manserunt CLXXV homines. Nulla tamen re perinde celebris, ac *Godwini* Comitis Cantii perfidia, & immanitate, qui anno Christi 1036, cum *Ælfredus Ethelredi* regis filius, & regni Anglici hæres ad jus suum repetendum è *Normannia* venisset, fide data eum suscepit, contraque fidem statim tractavit: Sexcentos enim *Normannos* qui juvenem *Regium* comitati, ex improvise intempesta nocte hoc in loco oppressos decimando, ut nostri scriptores habent, multavit. Nec enim decimum quemque sorte ductum antiquo militiæ more interfecit, verum novem interfectis, decimum quemque dimisit, decimosque reservatos, summa cum crudelitate reddecimavit. *Ælfredum* vero ipsum *Haroldo* Danico in manus tradidit, qui illum, effosis oculis in vincula abripuit, & ad mortem usque carcere condidit.

Longo hinc cursu in Septentriones *Wey* delatus, nihil memoria dignum, præter *Sutton* equestris familiæ *Westonorum* sedem, *Woking* ædes regias, & *Pyriford*, ubi nostra memoria *Edwardus* Comes *Lincolniæ*, & *Baro Clinton* sibi domum extruxit, & in proximo *Ockham*, unde magnus ille Philosophus *Nominalium* pater *Guilielmus de Ockham* natus, & à loco denominatus. Vbi vero in *Tamisin* duplici ostio exoneratur, *Otelandes* regiæ ædes satis elegantes in vivario conspiciuntur, juxta quas *Cæsar* *Tamisin* in fines *Cassivellani* transmisit. Hic unus enim omnino locus erat, quo *Tamisis* pedibus, atque hoc ægre transiri olim poterat, quod ipsi *Britanni* *Cæsari* quasi prodiderunt. Ad alteram enim fluminis ripam, magnæ *Britannorum* copiæ erant instructæ, ripa autem ipsa acutis subdibus præfixis munita, ejusdemque generis sub aqua defixæ flumine tegebantur. Quarum vestigia, inquit *Beda*, usque hodie visuntur, & videntur inspectantibus, quod singula earum ad modum humani fœmoris grossæ, & circumfusa plumbo immobiliter hæreant in profundum fluminis infixæ. Sed eo impetu *Romani* flumen ingressi sunt, cum capite solo

ex aqua extarent, ut *Britanni* sustinere non possint, quin ripas demitterent, fugamque capesserent. Hac in re falsus esse non possum, cum hic vix sex pedes flumen sit altum, cum *Coway-stakes* à sudibus hodie locus dicatur, cumque *Cassivellani* fines à mari quod orientalem Cantii partem alluit, ubi ille terram conscendit, circiter mill. pass. LXXX faciat *Cæsar*, ubi trajectum statuit, & ad eandem est à mari distantiam hic noster trajectus, cujus memoriam fugitivam nunc primus, quod scio, retraxi.

Post pauca inde in Ortum milliaria in *Tamisin* properat *Molis* rivulus totam regionem ab Australi limite permensus, qui collium demum objectu impeditus subterraneum meatum, ut nobile illud *Hispaniæ* flumen *Anas*, quasi talpa sibi aperit, unde nomen impositum videatur, cum subterraneum illud animal *Mole* Anglice dicatur. Nihil tamen ad hunc fluvium præclarum, nisi quod remotius est à fontibus (& prope antiquam militarem *Romanorum* viam quam *Stanyscreat* dicunt) opidum *Aclea* vulgo *Ockley* à quercubus nominatum, ubi *Æthelwolphus* *Egberti* filius, qui sacris ordinibus initiatus, cum Pontificia autoritate solutus regnum paternum hæreditario suscepisset, collatis cum *Dano* signis, prospere confligit, & eorum quemque fortissimum occidit; patriæ tamen, *Danica* illa hydra semper repullulante, minime profecit. Parum à fontibus hujus fluminis abest *Gatton* quæ jam vix viculus est, licet olim opidum fuerit celebre. In antiquitatis argumentum *Romanorum* nummos effossos ostendit, & ad Parlamentum duos mittit *Burgenses*. Inferius sedet *Rhie-gat*, id est, si ex antiqua lingua nostra interpreteris, *Fluvioli decursus*, in convalle quæ longe in Ortum procurrit *Holmesdale* dicta; cujus incolæ, quod semel atque iterum grassantes *Danos* devicerint, in suam laudem cantitant,

The vale of Holmesdall  
Neuer wonne, ne neuer shall.

*Rhie-gat* hoc amplitudine, quam structura est speciosius, ad australe latus vivarium habet nemusculis condensum, in quo nobilissimus *Carolus* Comes *Nottinghamiæ* *Baro de Effingham* & summus *Angliæ* *Thalassiarcha* suas ædes habet, ubi olim *Warreniæ* & *Suthreia* Comites *Cænobiolum* posuerant. Castrum ad Ortum eminent nunc neglectum & ævo caducum, ab iisdem Comitibus constructum, & *Holmescastle*, à valle in qua insidet, vulgo dictum: sub quo *Hypogæum* mirificum arcuato opere, è friabili lapide, cujusmodi ipse collis est, magno labore excavatum vidimus. *Warreniæ* vero Comites (ut est in libro *Inquisitionum*) tenuerunt in capite de Rege in *Baronia sua de Conquestu Angliæ*. Inde decurrit per *Bechwoorth* castrum, cui *Nundinarum* jus ab *Henrico Sexto* impetravit *Thomas Brown*. Sedes enim est equestris familiæ *Brownorum*, è qua avorum memoria, cum *Antonius Brown* *Luciam Quartam* *Ioannis Nevilli* *Marchio-*

Catteshull.  
Guilford.

Haga.

Decimatio.

Guil. Ockham.

Vbi Cæsar  
Tamisin  
transmisit.

Coway-staks.

Molis fl.

Anas fl.  
Hispaniæ.

Ockley.

\*  
Gatton.

Rhie-gat.

Holmesdale.

Marchionis Montifacuti filiam cum dotali patrimonio satis amplo duxisset, ejus è filio nepotem Vicecomitis *Montifacuti* titulo Maria Regina exornavit. Pauculis hinc ad occasum milliariis *Effingham* cernitur possessio jam pridem Guilielmi Howardi (triumphatoris illius Scottorum Thomæ Ducis Norfolciæ filii,) qui à Maria Regina Baro *Howard* de *Effingham* creatus, & Angliæ Thalassiarca factus foelicissimæ memoriæ ELIZABETHÆ primum à cubiculo, & deinde sigilli privati custos; cujus filius Carolus nunc floret, magnus Angliæ Thalassiarca, quem anno 1597, ob virtutem & operam egregie navatam, eadem Elizabetha Comitissæ Nottinghamiæ titulo condecoravit. Sed ad flumen regrediamur.

*Molis* jam cum ad candicantem collem *White hill* pervenerit, in quo buxus lætissime provenit, ad ejus radices se condit vel potius absorbetur, unde *the Swallow* locus nominatur, & post unum & alterum plus minus milliari prope pontem *Letherbed* ebulliens gaudet renasci. Vt hujus tractus incolæ, non minus quam Hispani, jactent se pontem habere qui plures ovium greges pascit, Hoc enim tritissimo proverbio jactitant Hispani, de loco, quo Anas flu. (qui nunc *Guanadana* dicitur) se per decem milliaria abscondit. Sic *Molis* noster renatus ad *Tamisin* lente properat, & proxime *Molesey*, quod suo nomini adoptat, immèrgitur.

Post *Molim* admissum *Tamisis* noster aquas recta in Septentrionem agit, perfunditque *Kingstone*, *Moreford* olim dictum, ut aliqui volunt, frequens in primis emporium, & castro *Clarorum* Glocestriæ Comitum olim notum, quod ex ejusdem cognominis vetustiori opidulo loco jacenti & inundationi obnoxio emicuit. In quo, cum Anglia Danicis bellis, suis fere sedibus convulsa esset, *Athelstanus*, *Edwinus*, & *Ethelredus* Reges regno inaugurati fuerunt, unde à Regibus factum nomen *Kingston* id est, *Opidum Regium*. In proximo etiam Reges sibi locum habitandi delegerunt, quem à splendore *Shene* dixerunt, nunc vero *Richmond* vocatur, in quo *Edwardus Tertius* Rex longe potentissimus, cum satis gloriæ, satisque naturæ vixisset, diem ex dolore obiit, quem in filii bellicosissimi morte hausit, qui ipsi & universæ Angliæ tantus erat, ut omnem consolationem vinceret. Et justus sane hoc tempore si unquam alias, Angliæ dolor. Intra unum enim annum solidam rei militaris, cumulatæque virtutis laudem amisit; uterque etenim victricia arma per Galliam circumferendo tantum terrorem incusserunt, ut pater cum *Antiocho* fulminis, filius cum *Pyrrho* Aquilæ nomen meritissime gereret. Hic etiam defuncta est *Anna* Regis *Richardii* II uxor, *Wenzelai* Imperatoris soror, filia *Caroli* IV Imp. quæ prima mulieres Anglicas, eam insidendi equi formam, quæ hodie in usu, do-

*Britannia.*

cuit, cum antea, parum decore divaricate, perinde ac viri obequitarent. Cujus etiam mortem adeo acerbe, & impotenter tulit maritus, ut etiam ipsas ædes omnino negligeret, & averfaretur. Novis tamen ædificiis excoluit *Henricus* V, atque in *Shene* viculo proximo cœnobiolum *Carthusianorum* adjunxit, quod *Bethlehem* dixit. Sed *Henrico* VII regnante, hæc regia sedes luctuoso incendio tota in favillas cecidit, verum ut *Phoenix* è suis cineribus, opera ejusdem *Henrici*, multo splendidior statim renata, novum nomen *Richmondia* à regione, cujus ille privatus Comitissæ titulum gesserat, accepit. Vixque supremam manum structuræ novæ imposuerat *Henricus* ille *Septimus*, cum extremum vitæ diem hic morte confecerit, cujus cura, vigiliis, consiliis, & prudentia longe in posterum provida Respub. Anglica hæctenus stetit invicta. Hinc etiam ejus neptis *Serenissima* Regina *Elizabetha* nonagesimo quarto post anno, cum naturam vivendi satietate expleisset, septuagenaria enim plus minus erat, in sacrum & cœlestem illum cœtum evocante Deo fuit recepta. Princeps supra sexum virilis animi, & consilii, quæ regios avi mores vere reddidit ut vultum, orbis amor, & *Britanniæ* deliciæ. Tantumque abfuit ut mulier à perenni contestataque majorum virtute degenerarit, ut eos si non superaverit, certe cumulate æquarit. Credat hoc olim sera posteritas, & fidem adhibeat tam gratiosam, (nec veritatis dignitatem blanditiis corrumpo) virginem quadraginta quatuor annos ita sceptrum tractasse, ut subditi amarent, hostes metuerent, & singuli cum admiratione suspicerent, quod retroactis ante temporibus non habuit exemplū. Cujus obitu Anglia tota in lachrimas soluta inter voces interruptas & morientes inconsolabiliter in squallore jacuisset, nisi illico atque terris fuit exempta, *Serenissimus* *Jacobus* verus & indubitatus hæres ad regnum capeffendum omnium mentibus oculisque designatus, augustissima luminis claritate illuxisset, & ad spem immortaliter gaudendi advocasset. Quem dum cernimus, illam excessisse minime credimus. Quanquam quid illam excessisse dicamus? cujus immortales virtutes vivunt, nominisque memoria in animis hominum & in æternitate temporum consecrata vivet æternum.

Huc usque *Tamisis* exæstuantis maris accessu augetur, sexaginta plus minus ab ostio *Italicis* milliariis. Nec aliud, quod scio, *Europæ* flumen tot milliaria urgentis & irruentis *Oceani* impetum aquis maximo accolarum commodo retroactis ac detentis sentit. An hoc fit ex eo quod hinc nullo fere flexu curvatus, rectiore alveo in *Ortum* delatus, altioribus plerumque ripis coercitus, & vastiore ostio quam cætera flumina se aperiens *Oceano* magis pateat, qui rapidissima orbium cœlestium ab ortu in occasum rotatione in eandem partem impellitur, ut olim opinatus sum; disquirant *Philosophi*, quibus &

Ccc hæc &

*Effingham.*

*The Swallow.*

Pons in quo greges ovium pascuntur.

*Kingston.*  
*Math.*  
*Paris.*

*Richmond.*  
locus ille & vicus ante *Henrici* VII tempora *Shene* dictus.

*Edwardus*  
III.

*Shene.*

*Elizabetha* Regi-  
næ obitus  
1603.

Quo usque  
*Tamisis* maris æstu augetur, *Tamisis* cur tam longe refluxit.

hæc & hujusmodi lubens relinquo. Paucula tamen his de locis, & hac de re carmina ex Tamæ & Isis Connubio, si palato faciant, habe,

*A dextra, nobis Richmondia, Shena vetustis  
Celsa nitet, sapiens namque hanc Richmondia dici  
Henricus voluit, sibi quod retulisset honorem  
Et titulos Comitum Richmondia jure paterno:  
Hectoris Edwardi sed deflet funera nostri;  
Prob dolor hic illi regi mens libera cessit  
Corpore contempto, sedes habitura supernas.  
Quem si non subito rapuissent ferrea fata,  
Aut te Valesius rapuisset Gallia victor,  
Aut tibi Valesios. Et paucis interpositis versibus.  
Tamisis alternum sentit reditumque fugamque  
Huc reflui pelagi, quoties vaga Cynthia pronos  
Octava librat cœli statione jugales,  
Aut tenet oppositam varianti lumine plagam,  
Plenior increfcit celeremque recurrit in æstum:  
Atque superbus ait, concedant flumina nobis,  
Nulla per Europæ dotatas nomine terras  
Flumina, tam longe sic certis legibus undas  
Alternas renovant, nisi fratres Scaldis, & Albis.*

None-  
such.  
Cuddin-  
gton.

Interius quatuor plus minus à Tamisi mill. pass. omnium circumquaque ædificiorum luminibus obstruit *None such* secessus regius, quem magnificentissimus Rex Henricus VIII in loco saluberrimo prius *Cuddington* dicto, deliciis & otio suo destinavit, tantaque magnificentia, & elegantia extruxit, ut ad ostentationis arcem aspiret, & omnem Architectonicæ peritiam in uno hoc opere coacervatam existimes. Tot sunt ubique spirantia signa, tot absolutæ artis miracula, & Romanæ antiquitatis æmula opera, ut optimo jure hoc suum nomen habeat, & tueatur, quod Latine, *Nulla ejusmodi*, sonat, vel ut Lelandus cecinit,

*Hanc quia non habeant similem laudare Britanni  
Sepe solent, Nullique parem cognomine dicunt.*

Ædes vero ipsas sic circumcingunt vivaria damis referta, horti delicati, luci topiario opere exornati, areolæ, & ambulacra sic arboribus obumbrata; ut non aliam sibi sedem ipsa Amœnitas, ubi cum Salubritate una cohabitaret, delegisse videatur. Maria tamen Regina Henrico Fitz-Alan Arundeliæ Comiti pro aliis possessionibus addixit, illeque cum Bibliotheca instructissima, & novis operibus adauxisset, jus suum omne in Baronem de *Lumley* moriens transcripsit, qui nihil non fecit, ut suo nomini vere responderet, & à quo in regiam possessionem transactionibus jam recidit. Iuxta, nec memorare piget, vena est terræ figularis ad vascula illa conficienda quibus auro conflando utuntur aurifices laudata, & ideo carius divendita.

Vanda-  
lis fl.

Merton.

*Vandalis* rivulus limpidus, & trutarum optimarum admodum fœcundus haud procul hinc ad *Cashalton* ebullit, qui *Morden* præterfluens ad Occidentalem ripam loco feracissimo *Merton* subluit, Saxonice *Wepedune*, olim *Kenulphi* Westsaxonum Regis fato insigne, qui in meretriculæ, quam hic deperibat, tuguriolo à *Kinchar-*

do *Clitone* interfectus erat, ipseque *Clito* à *Kenulphi* amicis confossus, perfidiæ pœnas statim luit. Nunc monasterii quod Rex Henricus Primus procurante Gilberto Vicecomite *Surreiæ* construxit rudera solummodo ostendit, quod Comitibus sub Henrico III fuit celeberrimum. 1117.

Deinde *Vandalis* augetur ab ortu fluviolo *Croydon*, qui fontes habet ad *Croydon*, olim *Cradiden*, quod sub collibus situm Archiepiscoporum Cantuariensium palatio, ad quos longo jam tempore spectavit, & carbonibus, quorum mercaturam exercent incolæ, notissimum est. Referunt incolæ domum quondam fuisse Regiam in occidentali opidi parte prope *Haling*, ubi rudera subinde à colonis eruuntur, quam postea Archiepiscopi dono à Rege acceptam transfulerunt ad suum propius rivulum palatium. Iuxta quod Reverendissimus in Christo pater D. Ioannes *Whitgift* laudatissimæ memoriæ Archiepiscopus Cantuariensis Hospitale perpulchrum ad sublevandos pauperes, & scholam ad promovendas bonas literas pio animi affectu posuit, & dotavit. The Bourne. Torrentem vero illum quem hic nonnunquam exurgere, nescio quo præfagio difficultatis annonæ, vel pestilentiæ perhibet vulgus, non operæpretium videri possit vel verbo memorare, cum tamen non omnino fide caruerit. Hinc vicinum est *Beddington*, in quo ædes præcellenti ædificiorum elegantia, & amœnissima hortorum specie conspicuuntur, quas *Franciscus Carew* equestri dignitate clarus nuper construxit. Sedes enim antiqua est *Careworum*, qui à *Nicolao Barone Carew* de *Moulesford* oriundi (à quo etiam sunt *Carew* Devonienfes) longo tempore hoc in agro floruerunt: maxime vero ex quo *I. Carew* filiam, & hæredum alteram nobilissimi Baronis *Hoo* sibi matrimonio junxerit. *Wibbandune*, nunc vulgo *Wimbledon* ad alteram ripam fluminis *Vandalis* sedet, ubi cum nimia fœlicitas civiles furores inter Anglo-Saxones peperisset, Britannico bello jam sopito, *Ethelbertus* Rex Cantii in suos gentiles primum classicum civile cecinit: sed *Cæulinus* Occidentalium Saxonum Rex, ingenti illum strage hoc in loco fœliciter fudit: interfectis ducibus *Oslano* & *Cnebeno*, à quo forte *Bensburie* pro *Cnebensburie* vallum illud militare dicitur, quod orbiculari forma hic vidimus. Nunc vero maximum huic loco ornamentum sunt ædes structura speciosæ, prospectu & hortis amœnissimæ, quas anno MDLXXXVIII cum Hispanica classis Angliæ immineret, *Thomas Cecilius* Eques auratus prudentissimi illius Baronis *Burghlai* filius extruxit. Wimbledon.  
Primum bellum inter Anglos.

Duobus hinc ad Austrum milliaribus, in collis edito nemusculum est, *Woodcote* hodie vocant, in quo modicæ urbis manifesta visuntur vestigia, & fontes plures è silicis fragmentis constructi, plurimaque de ejus frequentia, & opulentia, patriciorumque numero commemorant Woodcote.

Novio-  
magus.

morant vicini. Hæc, ut mea fert opinio, urbs illa fuit, quæ Ptolemæo NOVIOMAGVS, Antonino NOVIOMAGVS: nec aliunde argumentum petatur, quam à distantia ratione. Decem enim à Londino milliariibus, XVIII à Vagmiacis, ut annotat Itinerarium vetus, abest. Pluribus igitur parasangis aberrarunt illi, qui vel ad Buckingham, vel Guildford Noviomagum statuerunt. REGNORVM hæc præcipua fuit civitas, Marinoque Tyrio vetustissimo Geographo nota, quem Ptolemæus, cum Censorem induisset, taxat, quod Noviomagum Britannia, Londino per climata Borealiorem, & per Itinerariam rationem Australiorem collocarit.

Kennin-  
gton.

Lambith.

Ad Tamisim post Vandalis ostium, ubi opidulum *Wandlesworth* inde denominatum sedet, *Batersey* est viculus, olim Saxonice *Patryky-æa* & Latine *Patricii insula*: & quas nunc quærimus ædes Regiæ *Kennington* dictæ, quo Reges Angliæ olim secedere soliti, sed nunc nec nomen, nec rudera invenimus. Inde *Lambith* sive *Lomebith*, id est *statio sive portus luteus*, Canuti Fortis Anglorum regis morte olim celebris, qui ibi inter pocula animam eructavit. Ille enim totus in comestationibus & conviviis agendis *Prandia regalia*, ut habet Henr. Huntingdonensis, *quatuor in die vicibus omni Curia sua fecit apponi: malens à vocatis apposita fercula dimitti, quam à non vocatis apponenda fercula reposci.* Nunc vero locus celebrior est Archiepiscoporum Cantuariensium palatio. Circa annum enim Christi 1183, Baldwinus Archiepiscopus Cantuariensis, facta cum Rosfensi Episcopo permutatione, prædium hoc in loco acquisivit, in quo palatium sibi, & successoribus inchoavit, quod illi paulatim adauxerunt. Qui cum ecclesiam collegiatam hic etiam molirentur, Deus bone, quot Romanæ à Cantuariensibus Monachis advolarunt appellationes, quot inde fulmina, minæ, & censuræ à Romano Pontifice in Archiepiscopos emissa? Male enim metuerunt illi Monachi ne fundi sui foret calamitas, & in Archiepiscoporum electionibus, illis præjudicaret. Nec sedatæ fuerunt hæc tempestates, donec inchoata ecclesia instantibus Monachis, solo adæquaretur. Huic contiguum est celeberrimum hujus agri emporium, quod hodie vocant *The Bourrough of Southworke*, Saxonice *duðpeyrke*, id est, *Opus sive edificium australe*, quod è regione Londini ad austrum situm habeat, cujus quodammodo suburbium videatur: sed adeo amplum, & frequens, ut non multis Angliæ urbibus concedat, sui quasi juris, suos Ballivos patrum memoria habuit, sed Edwardo VI regnante civitati Londino adnexum, ejus quasi membrum hodie dignoscitur. Et proinde cum Londinum pervernerimus, de hoc plenius dicemus.

Barones  
Sancti Iohannis  
de Lagham.

Sub hoc Tamisim Surriam relinquit, cujus orientalis limes hinc recta in austrum descendit prope *Lagham* quæ suos Barones Parlamentarios, dictos *S. Iohn de Lagham* regnante Edwardo

Primo habuit, quorum hæreditas tandem ad *I. Leodiard* per filiam & hæredem devenit. Inferius in ipso fere angulo, qua Southsexiam & Cantium spectat, *Streborrow* castrum cernitur, olim sedes Dominorum de *Cobham*, qui hinc à *Streborrow* dicti, & à *Ioanne de Cobham*, Domino de *Cobham*, & *Couling*, & Hugonis Nevilli filia procreati diu gloria & dignitate floruerunt. Reginaldus enim regnante Edwardo III in ordinem Georgianum adscitus oræ maritimæ erat præfectus, à Tamisis ostio usque partes Occidentales. Ultimus vero Thomas Annam Ducis Buckinghamiæ filiam uxorem habuit, è qua suscepit Annam filiam unicam enuptam Edwardo *Burgh*, qui etiam à *Percis* & Comitibus *Artholix* stemma repetiit, ejusque filius Thomas Baro *Burgh* ab Henrico Octavo creatus, filium reliquit Guilielmum, qui genuit Thomam, bonarum literarum fautorem summum, Præfectumque *Briellæ*, quem *Garterii Ordinis* honore ornavit, *Hiberniæque Proregem*, ubi mortem oppetiit, constituit Regina *Elizabetha*. De *Æleonora Cobham* ex hac familia, *Humfredi Ducis Glocestriæ* conjugæ, cujus existimatio minus integra, ad Anglicam, si libet, accedas historiam.

Barones  
Borough,  
sive  
Burgh.

Iam Comites sunt enumerandi. Guilielmum de *Warrenna*, Guilielmus Rufus Rex Angliæ, cum Comitibus honore *Surriæ* primum præfecit, cujus insignia erant \* scutum aureum cæruleo interstinctum. In Charta enim illius qua fundavit *Prioratum de Lewis* sic legitur, *Donavi &c. pro salute Domini mei Willielmi Regis, qui me in Angliam adduxit, & pro salute Dominae meæ Matildis Regine matris uxoris meæ, & pro salute Domini mei Willielmi Regis filii sui, post cujus adventum in Anglicam terram, hanc Chartam feci, & qui me Comitem Surriæ fecit, &c.* Huic filius, & ex filio nepos eodem nomine successerunt: verum ultimus iste solam filiam suscepit, quæ primo Guilielmum *Stephani Regis* filium, & postea *Hamelinum Galfredi Plantageneti* Comitis *Andegavensis* nothum, maritos eodem titulo adornavit. Priore autem marito sine prole defuncto, *Hamelinus* Guilielmum *Surriæ* Comitem ex ea genuit, cujus posterius, ascito *Warrennorum* nomine, eundem titulum gesserunt. Guilielmus hic duxit primogenitam & cohæredem *Guilielmi Marefcalli* Comitis *Penbrochiæ* viduam *Hugonis Bigod*, quæ illi peperit *Ioannem*, *Ioannes* vero ex *Alicia* filia *Hugonis* \* *Le Brune* uterina sorore *Regis Henrici Tertii* progeniit Guilielmum, qui obiit ante patrem, & ex *Ioanna Vere* filia Comitis *Oxonix* *Ioannem* posthumum ultimum ex hac familia Comitem genuit, qui fuit (ut in sigillo ejus vidi) *Comes Warrenniæ, Surriæ, Stratherniæ in Scotia, Dominus de Bromfeld & Yale, Comesque Palatii.* Verum cum ille sine legitima prole diem anno *xxi* Edwardi Tertii obiisset, *Alicia* ejus soror & hæres enupta *Edmundo Comiti Arundeliæ*, hunc honorem in *Arundeliorum* stirpem ma-

Comites  
Surriæ,  
qui etiam  
Comites  
Warrenniæ  
dicti.  
Insignia  
Comitum  
Warrenniæ.

\* *Checky*,  
or & *Azur*.

\* *Comes*  
*Marchiæ*  
in *Gallia*.

trimonio intulit, à qua per Mowbraios tandem ad Howardos devenit. Thomas enim Mowbraius in uxorem duxit sororem natu maximam & cohæredem Thomæ Fitz-Alan, Comitis Arundeliæ, & Surriæ. Ducis tamen Surriæ titulum interea Thomæ Holando Cantii Comiti præbuit Richardus II, quo honore non diu usus erat. Dum enim Richardum illum captivum in libertatem, regnumque restituere occultis conspirationibus machinaretur, è latebris præter opinionem erupit conjuratio, & ille fugiens à populo Cirencestriæ interceptus, & securi percussus. Thomas de Beaufort deinde, qui regis Cancellarius (si Thomæ Walsinghamo credamus) hanc dignitatem gessit. Anno enim, ut habet ille, 1410, Dominus Tho. Beaufort Comes Sur-

rey concessit in fata. In hoc fidem suam liberet Walsinghamus, nihil tale in Archivis Regis habetur, sed quod Thomas Beaufort, circa ea tempora factus fuerit Cancellarius. Certum autem ex publicis regni actis quod Rex Henricus Sextus anno regni sui xxix Ioannem Mowbray filium Iohannis Ducis Norfolciæ, Comitem Warrenæ & Surriæ creaverit. Demumque Rex Richardus Tertius, cum regnum scelere occupasset, ut Howardorum familiam à Mowbraiis profectam sibi beneficiis adstringeret, uno eodemque die Ioannem Baronem Howard Norfolciæ Ducem, & Thomam ejus filium Surriæ Comitem creavit, in quorum posteris hæc dignitas eluxit, & hodie elucet.

Parochiales ecclesiæ 140 habet hic Comitatus.

